24

S. S. Trinitatis Auſpicio atq; Auxilio.

POSITIONES HAS MEDICAS MISCELLANEAS,

Authoritate, Juſſu atq; Decreto Nobiliſſimi atq; Ampliſſimi Medicorum in Alma Tubingenſium Academia Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO Nobiliſſimo, Excellentiſſimo atq; Experientiſſimo,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Phil. & Med. Doct. & P. P. Conſiliario & Archiatro Würtembergico Celeberrimo,

Præceptore atq; Promotore ſuo filiali obſervantia atq; cultu æviternum devenerando

Pro

LICENTIA

Summos Honores & Privilegia Doctoralia in Arte Medica legitimè conſequendi, publico examini & cenſuræ ſubmittit

JOHANN-ULRICUS Schmidlin / Stutgard.

Ad Diem 4. Martii,

Horis locoque conſuetis.

TUBINGÆ,

TYPIS Viduæ JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO M DC LXXXVII.

VIRIS

Nobilitate, Amplitudine, Experientia & Excellentia, maximè conſpicuis.

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO,
Phil. & Med. Doct. atque Profeſs. Publico longè Celeberrimo, Sereniſſimi Würtembergiæ DUCIS Conſiliario & Archiatro Graviſſimo.

DN. SALOMONI REISELIO, Med. Doct.
Experientiſſimo, Sereniſſimi DUCIS Würtembergici Conſiliario atque Archiatro Peritiſſimo.

DN. JOHANN-GEORGIO GMELINO,
Med. Doct. Celeberrimo, Sereniſſimi DUCIS Würtembergiæ Conſiliario & Archiatro longè Feliciſſimo.

DN. JOHANNI CASPARO HÆRLINO,
Med. Doct. Meritiſſimo, & Sereniſſimi Würtembergiæ DUCIS Archiatro Dexterrimo.

DNNNN. Cognatis, Fautoribus, Affini,
Patronis atq; Promotoribus omni honoris obſequii & obſervantiæ cultu ſanctè devenerandis

DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM

In debitæ Gratitudinis & Obſervantiæ ſignum, ulterioremq; ſui commendationem

D. D. D.

RESPONDENS.

POSITIO I.

Peregrina ſæpè accuſantur Salia, cùm lædunt Domeſtica.

NAturalia corporis noſtri tàm *fluida* quàm *ſolida* non ex purâ aquâ, ſimplici humore, nudâ terrâ, capite mortuo conſtare, ſed *ſalibus tincta* eſſe ipſa quæ inſpiramus, quæ aſſumimus quotidie tàm potulenta quàm eſculenta, ipſe per triplicem viam corpori ſe inſinuans aër, ſalibus ſcatentia docent, monſtrat analyſis Chymica, teſtantur ſapores ipſorum, evincunt actiones, ad quas peragendas ſalia multum conferunt. Ceu autem in *ſtatu naturali* pleræque laudabiles his adſcribuntur actiones, ita in *præternaturali* ècontra à potiſſimis *Authoribus* morborum cauſæ accuſantur ſalia peregrina, ſylveſtria, id eſt, à naturali ſua craſi, textura, indole penitùs deviantia, aliena, inverſa; ſed profectò, ſi res accuratiùs examinetur, haud rarò, præter rem & repugnante veritate. Sunt in corporis noſtri compage particulæ multæ *ſalinæ*, ſed non ſolæ, verum ſimul & *ſulphureæ*, *oleoſæ*, *balſamicæ*, *mucilaginoſæ*, *roſcidæ*, *aqueæ*, *ſeroſæ*, *terreſtres*, non ſolæ *acres*, ſed & *dulces*, *amaræ*, *inſipidæ*, &c. Singulæ hæ concurrunt ad conſtitutionem partium corporis, & quidem ſub amica harmonia, ſub debita proportione, ſub laudabili habitudine ad ſe invicem, ſub arcta ſocietate, ut nulla ipſarum hoc modo lædat, ſed potius vigorem corpori addat. Iſtæ autem ſalinæ particulæ quando *ſive* externorum aut rerum nonnaturalium, *ſive* fermenti modò externi modò interni culpa ſui juris fiunt, quando, ut *Hippocrates* loquitur, ſecernuntur, (*quo unico vocabulo multa Medicis utiliſſima innuit*) quando iſtam temperationem, iſtam ſocietatem *vel* ipſæ ſalinæ reſpuunt, dejiciunt, *vel* reliquæ indigitatæ particulæ deſerunt, multos eoſque varios

modò in hac modò in alia parte gignunt morbos, ſed non alienam ſtatim induunt naturam, verum eadem textura illarum manet, quæ antea, ita, ut ipſa ſint ſalia, quæ prius adfuerunt, non mutata, verum ſaltem à compedibus aut involucris quaſi erumpentia, ſocietatis leges aut violantia aut amittentia. Hæc autem, quia, ut ſæpius contingit, priorem texturam retinent, ſylveſtria, aliena, peregrina *dici non poſſunt;* Licet aliquando talia peregrina, ab ordinariâ texturâ diverſa ſalia corpori communicari aut in ipſo gigni non negemus, at profectò rarius, nec tàm frequenter, quàm à *multis* accuſari ſolent. Quantum autem in *cognitione texturæ ſalium* ſitum ſit Medico curanti, vix dici poteſt. Salia enim illa domeſtica non eodem, quo peregrina ſe habent modo, imò pro διαχείσει varia, pro effræni motu majori vel minori multum variant: hinc in Praxi *Medicus Paracelſi* monitum: morbum in centro eſſe detinendum, obſervans ægro multum commodi præſtat. *Experimenta* in *Macrocoſmo* occurrunt quotidie, quæ ſalia nullam exerere vim aut ἐνέργειαν cum aliis copulata, inſignem verò, etiamſi non mutentur, ſi ſaltem à ſociis abſtrahantur, nanciſci activitatem docent; non tamen in noſtro corpore ad ſecretionem *flamma Hermeticorum fuſoria*, non *calcinatione Paracelſi reverberatoria* opus eſt, verum indigitata ante externa, res nonnaturales, fermentum varium hoc præſtare valent.

POSITIO II.

Diſcutientia non ſaltem diſcutiunt, ſed & ulterius quid agunt.

VOcantur ab *Authoribus* medicamenta *Diſcutientia*, quæ flatum, humorem hæſitantem, impactum parti externæ reſolvant, diſſipent, diſcutiant, inſenſibiliter exhalare, in auras abire faciant. Inter quæ potiſſimum eminent *Chamomill. Cerefol. Abſynth. Hyſſop. Serpill. Roſmarin. Origan. Ruth. Majoran. Aneth. Melilot. Verbaſc. Sambuc. Raphan. ruſt. Salv. Lil. convall. Scord. Furfures, Avena, Sem. cumini, carvi, aniſi, fœniculi, lini, fœnugræc. Bacc. juniperi, Lauri, Gumm. ammoniac. bdell. elem. Lign. Saſſafr. Vinum,*

Urinæ

Urinæ variorum brutorum, Lumbrici, Nid. hirundinum, Emplaſt. diaphoret. d. bacc. laur. d. galban. oxycroc. d. melilot. Unguent. Martiat. Splenetic. Ol. chamomill. aneth. aniſ. ruth. ſerpill. deſtill. Ol. cappar. chamomill. ruth. vulpin. caſtor. è florib. Slotan. ſcorpion. ſimpl. & compoſit. petræ, laur. amygdal. amarar. Balſam. ruth. ſuccin. Zibeth. Spirit. lumbricor. Sal. armoniac. Vini compoſit. varii, Aq. Anhaltin. &c. Solent hæc & ſimilia craſſos, viſcidos, mucoſos, glutinoſos humores, ſalinas, fixas, tartareas particulas attenuare, dividere, reſolvere, vias ſubcutaneas, glandularum iſtarum minutulos ductus aperire, dilatare, majores reddere, unde poſtmodum ſive flatulenti vapores; Gas quoddam ibi lateat, ſive humor talis viſcidus impactus antea, nunc diviſus, ſeparatus, tenuis; volatiles horum medicamentorum particulæ inſenſibiliter tranſpirare iſtum ſive humorem, ſive flatum faciunt, & ita educendo materiam latentem diſcutere ipſam dicuntur, unde variorum tumorum imminutio, dolorum ſedatio ſequitur. At non hoc ſolùm modo agunt laudata medicamenta, non ſolùm per externa illa ſpiracula, ſubcutanea vaſculorum oſcilla eliminant, diſſipant latentem materiam, ſed & *glandulas ſubcutaneas* in ſecretionis officio ſegnes *juvant*, ac, quod multum confert, non exiguam illius materiæ portionem attenuatam diviſam & adaptatam per vaſa tàm lymphatica quàm venoſa *reſorberi ac revehi* faciunt. *Iſta* poſtmodum, quæ in exterioribus latuerat, materiæ dictæ portio, nunc *revecta*, *reſorpta*, per alvi, veſicæ, aut alias patulas excretioni dicatas *educitur* portas; imò ſæpiùs quædam talium particularum antea cuti impactæ, tunc modo dicto per medicamenta maſſæ ſanguineæ redditæ viſcerum ope iterum *ſubjugantur*, *ſocietati redduntur harmonicæ*, *immutantur*, *corriguntur*, *emendantur*, *in ſtatum laudabilem reducuntur*.

POSITIO III.

Scabies ſponte deſinens, ſæpiùs absq; palindrome, morborum ſit cauſa.

HElmontius *l. ſcab. & ulcer. Scholar.* ſcribit: *Adoleſcens cuidam Domicellæ valedicturus Chirothecam atq; manum aliquantiſper detinui,*

 tinui,

tinui, occulta ſiccaq; ſcabie laborantem. Ego verò inde non quidem ſiccam, at ſanioſam ſcabiem mox contraxi ſolo nimirum ſobrioq; attactu. Ac dein obſervavi plures mantilia ſcabioſorum pſoras & tineoſorum pileos tineas peperiſſe, ut & leproſorum atq; venereorum contagia participato fermento propagata. Ab hac, ut deſcribit, contracta ſcabie Duorum *Medicorum* celebriorum conſilio *Apozemata, Catapotia*, frequenter ac reiteratò in uſum ducta Ipſum non tantum non liberarunt, ſed & laſſitudinem, tabem, raucedinem & greſſus difficultatem Ipſi inducebant, unde varias collegit concluſiones, interque has, quod ſcabies ſit effectus ſolius pellis, quod jecur eſſet inſons in contagionibus pellis &c. *Nos* aliquando ſcabiem hoc modo ab externo inficiente ſeminio oriri concedimus; ſed & ſæpius ab impuris maſſæ ſanguineæ particulis à Natura depurante, à nobilioribus ad ignobiliores partes detrudente, ad cutem & cuticulam transmiſſis eandem gigni ſtatuimus, hinc à multis ac morbis magnis præſervat ac liberat. *Subitò* autem ac *ſponte* cum ceſſat talis ſcabies, non rarò varii, ut *Experientia Practicos* docet, corpus adoriuntur graviores, perículoſiores morbi, palpitatio cordis, anxietates, aſthmata, hydropes, epilepſiæ, convulſiones, cardialgiæ, diarrhœæ, tremores, deliquia, aphoniæ, obſurdeſcentiæ, guttæ ſerenæ, apoplexia, &c. Oriri hos morbos ſtatuunt *Pleriq;* à *palindrome humoris exulcerantis*, à retrogreſſu ſalinarum mordacium particularum ad interiora. Non enim ſolum ſcabiei ſed & malignis febribus petechiis, variolis, morbillis, abſceſſibus, tumoribus, inflammationibus, ulceribus, fiſtulis recurrentibus aſſignant vias, venas, arterias, lymphatica, nervos, carnoſarum partium poros, earumque cavernas aut ſpiracula, & morbos mortemque à tali recurſu deducunt. *Nos* regredi aliquando poſſe particulas exulcerantes non negamus, de viis nunc non ſolliciti, ſed ſimul aſſeveramus de ſcabie ſponte & ſubitò ceſſante, puſtulis effuſo humore puriformi evaneſcentibus, exiccatis cruſtis decidentibus cùm varii periculoſi valde morbi ſubſequuntur, *non* à recurſu humorum fieri, ſed ab ipſa *maſſæ ſanguineæ* aut *partium textura ſubitò immutata*, ut Naturæ depuranti ad munditiem ſegreganti, expellenti non amplius obediat. Ipſam ſanguinis texturam aliquando aptiſſimam ad ſegregationem, aliquando

peni-

penitùs ineptam Medicus in Praxi accuratus facilè obſervat,ſolam in febribus cruditatem ſi conſiderat; Eandemque ad ſecernendum aptam vel ineptam diſpoſitionem in *Macrocoſmo* obvia *Experimenta* de deſtillatione ſpirituum ex muſto vino, ſuccis, fructibus, &c. monſtrant. Quando igitur, *ſive* ex minùs debita medicamentorum applicatione, *ſive* ab alia externa cauſa, *ſive* ab interno fermento (inſignias alio nomine, per nos licet) iſta *diſpoſitio* ad deſpumationem, ad efflorescentiam, ad ſegregationem depuratoriam *ſive* in ipſo latice aut ſanguine, *ſive* in partibus tollitur, impeditur, morbi ſubſequuntur graves, non quod retrogrediantur per palindromen ulcerantes particulæ, ſed quia iſta impura amplius non ſecernuntur, non ad ignobiliores partes detruduntur, ſed nobiliorem hujus vel illius ventris partem ſubſiſtentiam tandem concedentem impetunt ac lædunt, ipſos etiam ſpiritus à vigore & puritate dejicientes.

POSITIO IV.

Alvus tardior Hypochondriacorum non ſemper citanda eſt.

L*Atino morbo* torqueri ſoliti, *Hypochondriaci* vulgò dicti, miris *Medicum* fatigare ſolent modis, non ſolùm, quia tam ludibunda varietate & mira confuſione à diverſis ac pertinacibus agitantur ſymptomatibus, ſed & quia leves etiam & vix Medici manu dignas moleſtias nimius metus, excedens angor ab obfuſcata, dejecta, ſpirituum ſerenitate & alacritate oriundus tanquam grandia periculoſiſſima mala, ceu per macroſcopia ipſis ſiſtit ac depingit. Symptoma autem inter His valde familiaria eſt *Alvus tardior*, quam *à conſtipatâ diſtinctam* velim. Hinc tot ab Hypochondriacis deglutiuntur *pilulæ polychreſtæ, domeſticæ, familiares, vitæ, Francofortenſes, Müllerianæ, Glaſſianæ, Haugianæ, &c.* tot lambuntur *Pulpæ, Electuaria lenitiva, Confectiones Paſſulatæ, Mixturæ laxativæ, &c.* tot *Tincturæ aperientes, Pulveres, Elixiria, Syrupi, &c.* ut calcaria alvo addantur, aſſumi ſolent, tot *Enemata* injiciuntur, at ſæpè fruſtra, ſæpè cum damno ægri. Conſtipationem alvi hîc, ut dixi,

non

non volo, ſed alvum tardiorem, quæ multis, præſertim Hypochondriacis, *naturalis quaſi* eſt, absque exinde oriunda læſione. Obſervationes *Medicorum tam Veterum quam Modernorum*, imò *cujusvis Medici Experientia* monſtrat homines, quibus tam ſegnis eſt alvus, ut non niſi tertio, quarto, ſeptimo, vel decimo, aut duodecimo die excernant, licet ſatis benè comedant, qui tamen noxam exinde ſentiunt nullam. *Braſſavolus* Medicus celebris refert, ſe iter feciſſe *Laureto Romam*, ſemel ibi alvum depoſuiſſe, in itinere duodecim dies conſumpſiſſe, hîc demum iterum excreviſſe, interim verò ſe maximè ſanum vixiſſe; ſimiliter ſe *Ferrariâ Venetias* profectum in acceſſu & receſſu, & morâ, qua *Venetiis* fuit, novem ſcilicet dierum ſpatio nihil excreviſſe. *Medicus* igitur, cujus conſilium petit Hypochondriacus ob alvi ſegnitiem anxius, quomodo ordinariè antea alvus qua ſolutionem ſe habuerit, quærat, & ſicuti in aliis caſibus, ita & hîc de iſta ſciſcitetur *idioſyncraſia*, quam ſi perceperit, damnumque exinde nullum ortum notabile audierit, omittat laceſſere, citare alvum, nè pernicioſius ipſo malo præbeat remedium.

POSITIO V.

Cantharides non tàm externis, quàm internis agunt ſpiculis.

M*Edicus Experimentis maximè celebris Cantharides*, quarum vis humanam cuticulam & promptè, & violenter à cute ſeparat, & ſi vel brachiis admoveantur, dyſuriam moleſtiſſimam (quod in *paucis*, non omnibus ſubjectis fieri obſervavit *Excellentiſſimus Dominus Præſes*) inducit, ut cauſam tàm excitatæ operationis inquireret, examini ſubjecit Chymico, ex Retorta igne per gradus aucto in annexum excipulum propellens *ſal volatile*, *oleum craſſum*, coloris ſubflavi, odoris fœtidi, utrumque lixivioſum, urinoſum, *caput mortuum* aliquot horis flamma cruciatum tantillum *ſalis fixi lixivi*, cum *ſpiritu nitri* in ſpumas & ſtrepitum efferveſcentis producens. Sed cum & *ſal illud volatile*, & *oleum* illud craſſum famuli manui applicitum nec veſicas nec dolorem excitaret, etiam poſt

longiu-

longiuſculam moram, manu etiam ad promptiorem operationem calefactâ, *Galeni* iſtud ſibi in memoriam revocavit: *Pharmaca quædam agere totâ ſubſtantiâ, non ita in particulas divulſa.* Sed iſto nimis generali non contentus, Smicroſcopio *Cantharides* ſubmiſit, ubi corpuſcula ipſarum vidit mille *Spinis* inhorreſcere, quarum aculeis cuticulæ impactis neceſſario veſicas excitari concluſit; obſervavit autem corpuſcula & pedes illarum armari ſpinis, quæ ſpinæ pilorum vices ſuſtineant, ſed acutiſſimis præditorum cuſpidibus, non verò alas, quæ in puncta quædam aſperiora corrugari, non tamen usquam deſinere in ſpicula notavit. *Alius* non minus *Celebris Igne Chymico* multum occupatus *Medicus* dubitat de his, ſcribens: *Circa privatam ſpiculorum extus in Cantharidibus apparentium hic actionem hæſitare forſan poſſet quispiam, dum alia quoq́; inſecta plurima per microſcopia ſimiliter hirſuta, nec tamen eſcharotica videntur; Præterea è vegetabilibus mucilaginoſiora quoq́;, ſcylla, allium, cepæ & in analogo genere urticationum tubercula non à ſimplici ſpiculorum punctura oriri conjunctus ardor, ipſaq́; aqua ritè deſtillata oſtendit, eademq́; eſt circa formicas ratio.* Prior ſuum tandem claudit diſcurſum: *Cantharides duplicis naturæ armantur ſpiculis, aliis quidem ſalinis volatilibus, aliis autem quaſi corneis, quibus exterius tegitur beſtiola.* *Nos* tantos componere Viros non præſumimus; videtur tamen nobis, agere Cantharides ſpiculis non tàm externis, quam *internis* in illarum textura latitantibus, inductis *tribus Experimentis*: *Spiritus Vini*, in quo aliquandiu infuſæ fuerunt Cantharides, nullum amplius externorum ſpiculorum ſive pilorum ſpinatorum veſtigium monſtrans, ſæpius feliciter veſicas magno ægri commodo excitavit. *Emplaſtrum officinale* è Cantharidibus, pedibus & brachiis pro veſicis excitandis applicitum fuit, ſed fruſtra, & absque ulla vel leviſſima veſicula, etiamſi per 24. horas ipſis obductum & obligatum. Sexto vel ſeptimo die, poſtquam ante 5. aut 6. dies ablatum ac remotum fuerat Emplaſtrum, veſicæ ingentes cum ægræ levamine in iſto loco, cui primum inductum erat, proruperunt ſerum flavum mucoſum copioſum fundentes. Cantharides *pinguibus mucilaginoſis* viſcidis acumina obtundentibus involuta ac mixta dictam exerunt vim.

POSITIO VI.

Faſciæ Podagricos parum juvant.

POdagra eorum, quos tenet, pedes, artus vix tanto niſu torquet, quàm *ingenia Medicorum* & *Ægrorum animos*. Hinc caput, ab Uno externum, ab Altero internum, Cor, Ventriculus, Hepar, Lien, Pancreas, Renes, Uterus, ipſa Extrema *mandantes* incuſantur *partes*, hinc *Cauſæ efficientis* nomine veniunt modò ſanguis, bilis, pituita, melancholia, ſerum, modò Archæus iratus, ſpina infixa, ſpiritus animales impetuosè moti, modò ſalia diverſiſſimæ indolis, modò ſuccus pancreaticus, modò Tartarus reſolutus, ſolidus, modò Synovia corrupta, rodens aut fermentans, modo efferveſcentiæ variæ, modo flatus &c. Hinc nè de antiquis hoc malum debellandi modis dicam, *hodie* tot *machinæ* ipſi opponuntur, quot vix pro invincibilibus habitis fortalitiis opponi ſolent. *Gladiolis* contra podagram agunt, qui quovis Novilunii puncto pedes ſcarificari curant. *Inundationem, immerſionem, ſuffocationem* iſtius tentant Alii lactis quotidiano & diuturno hauſtu. Alii *cremare*, *comburere* illam accenſa Moxa ſatagunt. Alii ſuccum ei ſubtrahere omnem per *pluviam oris*, ut vocant, ſive *ſalivationem* allaborant. Alii *globis ſive pilulis* per biennium aut triennium illam impetunt, Alii *Cani, Caponi, Gallo Gallinaceo, populo, quercui, ſalici* aut *alii arbori per transplantationem* communicare nituntur. Sunt & qui *Faſcias* ſuadent, ut pori & meatus, qui tranſitum cauſæ morbificæ concedunt, qui ſecretionem ejusdem promovent, mutentur, comprimantur, aliter figurentur faſciarum circumligatione, & ita tam appulſio cauſæ impediatur, quàm expulſio ex parte promoveatur, viæ præcludantur, malumque podragricum his cauſis ſublatis tollatur. *Verùm* in Podagricis cauſa morbifica, cujus idéam & formalitatem nunc non determinabo, ſive ſerum acre, ſive bilem, ſive ſal acido acre, corroſivum, ſive flatus ſive aliud quid accuſes, aut *generatur*, aut *ſecernitur*, aut *cumulatur*, aut *movetur* vitio *Viſcerum* & *Glandularum*, inde Critico quaſi Naturæ motu ad exteriora, protruditur, quod ſi plenè contingit, ab interiorum partium morbis liberi degunt Podagrici. *Faſciæ* autem adhibitæ *vel* vias iſtas, meatus, poros, oſcilla, ductulos comprimunt,

munt, immutant, præcludunt, *vel* non. Si *poſterius*, nihil juvant; Si *prius*, paroxyſmum quidem tollunt, at majori ægrum damno ſequente; iſta enim indigitata cauſa ad interiores ſibi viam ſternit partes, varia pejora inducens mala. Perfectè autem qui *curare* velit *Podagram*, quod Medico prudenti ac exercitato apud ægrum obedientem, quando malum altas per longum tempus nondum egit radices, impoſſibile non eſt, viſcera, glandulas ad officium reducat, nervoſos villos, membranaceas fibras roboret, humores in harmonia conſervet, diſcordes reuniat, deviantes reſtituat, ſpiritus ferocientes placet, mitiget, neceſſe eſt.

Hæc pro Exercitio Inaugurali ſufficiant. Interim Tibi, DEUS Triune, immortales ago gratias, ſisque Tu in ſtudiis meis porrò, quod devotè rogo, principium, medium atque

FINIS.

I.

P*Ractica proponis:* Labor hic TIBI proderit olim;
Praxi, non Verbis accipit Æger *opem.*

Scripſ. proſperos rerum ſucceſſus apprecans

PRÆSES.

II.

DEt *Galenus* opes, *Tibi* dans *Doctoris Honores*
Addat pro votis *Proſpera Quæq;* DEUS.

Paucis hiſce prolixiſs. affectu Dn. ſuo Affini Honoratiſs. Summos in Medic. Honores gratulari voluit.

Chriſtoph. Frideric. Smalcalder / J. U. Lt.

III.

DUm Studium Medicum felici fine coronas
Hæc brevibus verbis accino vota tibi.
Tolle malum, ſit dextra tibi Panacea, tegatur
Morbus humô quivis, non tamen ullus homo.

Hæc Colendiſſimo Dn. Affini ſuo gratulabundus appoſuit

M. Johann-Henricus Mögling / SS. Theol. Stud. Illuſtr. Stip. Repet.

I V.

HErꝛ Schmidlin iſt bedacht / gelehrter Schaar zu weiſen
    Hier durch ſinnreichen Streit/daß ihm der Doctors-Hut/
Den ſonſten Fürſten auch an klugen Häuptern preiſen/
    Gezime andern gleich / weil er hier Probe thut
Daß durch Galenus Kunſt er die verlohrne Stärcke
    Dem Leibe geben kan; So folge billich dann
Das End verdienter Ehr / dabey mit Nutzen mercke
    Noch mancher Patient / was der Herꝛ Schmidlin kan.

Diſes ſetzte ſeinem wertheſten Herꝛn Schwagern
zu ſchuldigen Ehren mit bey

M. Georg Chriſtoph Hofmann / Illuſtr. Stip. Repet.

V.

SErmo hic purpureæ fulgens ante ambulo mitræ,
    Fortunæ Fabrum Te probat eſſe Tuæ:
Inclytus egregiâ Podalirius arte medendi,
    Applaudit, ſolito more, favente manu!
Gaudia teſtatus longè ſibi maxima pleno
    Artifices herbas ſpargit Apollo ſinu.

Fauſtæ congratulationis ergo Honoratiſs. Dn. ſuo Affini appoſuit

Wilhelm-Ulricus Smalcalder / Jur. Stud.

V I.

PHœbeam ſcandens cathedram, *Schmidline*, medendi
    Quæ cum ſucceſſu ſit via plana, doces;
Hinc grator! faxit DEUS, ut *citò* ſentiat æger
    Jucundè & tutò, cum medicaris, opem.

Ita Nobiliſs. DN. Candidato,
Ad ſummos in Arte Medica Honores aſpiranti,
ex animo gratulatur

Johann-Samuel Kniſel / Med. Stud.